Quelle: http://manuscripta.at/?ID=459
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

scientiam excluderet. Potest autem et alio intellectu convenienter dici veterem legem per concupiscentiam uxoris, sive rei alienae non illa significasse que sola voluntate agitur, sed ambitione et machinatione que studio quodam et annisu ad implendum desiderium et obtinendum id quod in desiderio est exterius opere exercetur. Nova autem lex illicitam concupiscentiam non solum dampnavit foris in studio operis, sed intus quoque dampnabilem esse ostendit in desiderio voluntatis. **De ordine preceptorum dei.**

XXI. ORDINEM autem ipsorum preceptorum dei sine consideratione transire non oportet. Nam sicut ordo vivendi est, est utique et ordo percipiendi. Primum ergo attende quod dicitur tibi ut adores dominum deum tuum et servias illi. Hoc est primum preceptum. In adoratione fidem, in servitute intellige bonam operationem. Post hoc secundum preceptum sequitur ut nomen dei tui in vanum non assumas. Quatenus verbum veritatis in ore tuo sit propter veritatem, ut post fidem cordis sequatur confessio oris. Primum devotio ad bonam conscientiam. Secundo exemplum operis ad bonam famam. Novissime verbum predicationis ad doctrinam. Deinde sequitur tercium preceptum et dicitur tibi ut sabbatum observes. Hoc est mentis quietem custodias, ut non perturberis ex adversis forinsecus currentibus propter veritatem, sed discas esse pacificus, et inter illos qui pacem oderunt predices veritatem et non omittas caritatem. Hec sunt tria precepta prime tabule de his que pertinent ad deum. Post que sequitur secunda tabula de his que spectant ad proximum. Primum ergo preceptum est secunde tabule quod tibi precipitur ut honores principium tuum, ut vitam longevam habere possis. Quoniam qui non honorat eum a quo est, dignus est ut retinere non possit id quod est. Secundum preceptum est: non occides. Convenienter sane cum in precedenti mandato vite longevitas promittitur, hic ne alienam vitam extinguat prohibetur, ut hic ex caritate dei sit qui principium suum honorans ad vitam que finem nescit inhiat, hic vero ex caritate proximi qui ad vitam alienae finem nullo crudelitatis odio se relaxat. Deinde sequitur tercium preceptum: non mechaberis, et quartum: non furtum facies. Non mechaberis hoc pertinet ad vitam propriam. Non furtum facies hoc pertinet ad vitam alienam. Superius enim iussus est et suam et alterius vitam conservare. Hic iubetur et suam et alterius vitam non ledere. Iustum est enim ut in vita vite corruptionem caveat qui in patria vitam incorruptam exspectat, et qui iam vitam proximi per apertam violentiam non opprimit, et per fraudem occultam in his que ad usum vivendi data sunt sibi non noceat. Et non solum ipse per se non noceat, sed neque nocentibus et nocere volentibus sua auctoritate vel attestatione fiduciam aut firmamentum prestare non presumat. Hoc enim sequitur in mandato prohibetur cum dicitur: Non falsum testimonium dices. Et quia ab opere lesionis diu se cohibere non potest qui mentem suam ab intentione voluntate ledendi non cohibet, sequitur et dicitur: Non concupisces uxorem proximi tui. Non concupisces rem proximi tui. Ut furtum non facias. Non concupiscas rem proximi tui. Hec sunt decem precepta que prime